

## ORATIONES

DICENDÆ AB EPISCOPO CUM NON IN PONTIFICALIBUS CELEBRAT

Indulgentia centum dierum pro singulis orationibus. Pius Pp. XII, 14 ianuarii 1940. (Concordat cum MR 1962.)

### Cum exuitur cappa:

Exue me, Dómine, véterem hóminem cum móribus et áctibus suis: et índue me novum hóminem, qui secúndum Deum creá-tus est in iustitia, et sanctitáte veritátis.

### Cum lavat manus:

Da, Dómine, virtútem mánibus meis ad abstergéndam omnem máculam immúndam; ut sine pollutióne mentis et córporis váleam tibi servíre.

### Ad amictum:

Impóne, Dómine, gáleam salútis ad expugnándos diabólicos in-cúrsus.

### Ad albam:

Deálba me, Dómine, et munda cor meum; ut, in Ságuine Agni dealbátus, gáudiis pérfruar sem-pitérnis.

### Ad cingulum:

Præcínge me, Dómine, cíngulo puritatis, et extíngue in lumbis meis humórem libídinis; ut máneat in me virtus continétiæ et castitatis.

### Cum accipit crucem pectoralem:

Muníre dignéris me, Dómine

Iesu Christe, ab ómnibus insídiis inimicórum ómniū, signo sanctíssimæ Crucis tuæ: ac concédere dignéris mihi indígnō servo tuo, ut, sicut hanc crucem, Sanctórum tuórum relíquiis refértam, ante pectus meum téneo, sic semper mente re-tíneam et memóriam passiónis, et sanctórum victórias Márt-yrum.

### Ad stolam:

Redde mihi, Dómine, óbsecro, stolam immortalitatis, quam pérdidi in prævaricatióne primi paréntis: et, quamvis indígnus accédere præsúmo ad tuum sacrum mystérium cum hoc ornaménto, præsta, ut in eódem in perpétuum mérear létári.

### Ad planetam:

Dómine, qui dixísti: Iugum meum suáve est, et onus meum leve: præsta, ut illud portáre sic váleam, quod possim cónsequi tuam grátiam.

### Ad manipulum:

Mérear, precor, Dómine, maní-pulum portáre mente flébili; ut cum exsultatióne portiónem ac-cípiam cum iustis.